

ritatem hanc semper habuisti cognitam, literarum imprimis studio omnibus viribus otio esse resistendum; verum id ipsa etiam praxi comprobare admissus es. Præsens Tua Dissertatio, magna cum eruditione conscripta, rem ipsam eloquitur. Eo enim ipso cum *de Otio Monachorum*, hominum quibus desidiosiores terra vix alit, differis, vitamque illorum multis conspurcatam vitiis delineare adlaboras, testimonium simul perhibes, studia Tibi semper curæ fuisse cordique, otiumque Te cane pejus & angue vitasse. Accipe igitur laudes illas, quibus Te dignissimum censent omnes. Gratulor ex animo specimen diligentiae tuæ labori huic impensæ. Erit hoc reliquis calcar vestigia tua premendi. Gratulor etiam ipsimet mihi, cum liceat mihi tam esse beato, Te cum, sub umbone *Tanti Theologi*, Præceptoris mei æternum devenerandi, in arenam descendere disputatoriam, spartaque opponentis fungique in me detulisti. Faciam desiderio tuo, quantum potero, satis, lætus de victoria tua reportata tibi gratulaturus. Faxit interim summum, quod omnia regit, Numen, ut conatus laboresque tui prospere semper succedant, laudesque tuæ majora in dies capiant incrementa. Mei autem memoriam, Amice Honoratissime! ut nunquam exuas, sed de meliori nota me Tibi commendatum habeas, iterum iterumque rogo, Vale. *Dabam in Museo meo 2. die April, MDCCXL.*



*Coll. diss. F. 30, misc. 24*